Cracoviensis studior. Univ. Jag.
Promotiones Ord. Philos.
1643. Cal. VI Apr. 1.6.
Jakszan Ioannis Stanislai: Helicon florentis Sarmatiae.

HELICON FLORENTIS SARMATIÆ.

Flosculis fragrantissimis,

Primam in Artibus honestissimis & Philosophia Lauream prensantibus in Iagelloniano Almæ Vniuersitatis Cracouiensis Lycæo refertus.

CVIVS

Nitorem Apollo per alumnum suum JOANNEM STANISLAVM JAKSZAN eiusdem Laureæ Candidatum effingere curauit.

DVM

Publicè Laureâ Eruditionis,

Ab Excell. D. ALBERTO WOYTOWICKI Collega Minore In Peraugusti & Amplissimi Senatus Academici, ac Iuuentutis Nobilissimæ præsentia insignirentur.

Anno à partu Parthenio.

EXpeDIt hIs Conferre satIs ferVenter honoreM
QVos PhæbVs narrat strenVVs esse sVos.

Cyclo Solis 28. Cyclo Lunæ 10. Indictione Romana 11. Cal. VI Apr.

CRACOVIÆ.

Jn Officina Stanislai Bertutowic, Anno Dñi 1643.

In Stemma Antiquissimæ Domus.



Pro patrijs Laribus pulchrum generosa propago,
In bello clypeum stringere moris habet.
At clypeus careat cur pegmate? fallitur omnis!
Omnia non potis est prêndere gesta locus.

Illustri & Magnifico Domino,

D. MARCO SOBIESKI

CAPITANEO IAVOROV: &c. &c.

Patrono suo fauentissimo prosperos annorum successus cum æuiterna precatur felicitate.

Ambiguis profectò in rebus anxius ILLVSTRIS *ac* MAGNIFICE DOMINE, *& veluti quibusdam nebulis obuolutus, cui nam hoc exiguum opellæ meæ munus dedicarem, dubitaui. Pro comperto enim habens Magnos decere magna; meum verò debile satis atq; impar Tanto Viro conspiciens munusculum, ne Tuæ* ILLVSTRIS *ac* MAGNIFICE DOMINE *singulari humanitati, quam cuiuis beneuolus libens lubensq; testari solitus es, nimiùm fidere viderer, veritus sum. Sed vt primum Tuum Generosum animum, qui virtutes genere, egregiam virtutibus indolem, ingenuis moribus Maiorum effingit amplitudinem, fuerim contemplatus, ita me in sui partem allexit, & ad portum optimæ spei deductum in proposito confirmauit, vt non alteri cuipiam, verùm Tuæ Illustr. ac Magnif. Dominationi candidum hoc Candidatorum Laureatorum iubar vouerem ac consecrarem. Accipies id* ILLVSTRIS *ac* MAGNIFICE DOMINE *non calamistratum licet, nec lenociniјs verborum instructum, sed amænum hilari ac sereno (quod spero) vultu munusculum, & Helicona Academicum trutinando bis sena flosculorum nomina præsentiâ Tuâ exornabis; vt audentiùs Camæna mea tenuis, cum Candidatis, tanquam maturis iam lauri nostri botris, in publico Magnorum, religioneq; præstantium virorum concursu, sistere ac gestire possit. Non hîc concido animo, habet quippe Inclyta Prosapia Tua* ILLVSTRIS *ac* MAGNIFICE DOMINE *hoc proprium ac præcipuum, quòd omni humanitate ac benignitate, litera-*

rum peritiâ apprimè insignitos, & optimarum artium cultores complectatur. Habet & hoc, quòd tàm in sago quàm toga, laudis adoream, in Repub. nomen diuinum, in præclaris facinoribus famam (quæ nec extingui quia est lumen, nec exsiccari quia est fons perennis potest) cùm ob mirificam humanitatem, tùm etiam quandam munificentiæ benignitatem adeò obtinuit, vt in suam amplitudinem oculos omnium, stuporem animi, fauorem deniq; prouocare & conuertere videatur. Hoc certè quis non miretur? cum dulcem virtutis venustatem à næuo huius Familiæ vigor custodiuit, tractauit arma, habuit hostes, subijt pericula, argumenta victoriarum scrutatus est, ita virtutem sedulò in meditatione seruauit, vt latentem securè in solem producere auderet, atq; omni ætatis tempori & posteritati ad miraculum proponeret. Habet insuper & hoc Tuus Generosus animus ILLVSTRIS DOMINE *quòd (cum conscius sit quanto cum labore detur proficere mortalibus) paruula quæq; placidè excipiat, & errata humanitùs illapsa in partem flectat benigniorem. Quocirca his virtutum flosculis adornatus hoc claritatis genere communitus* ILLVSTRIS *ac* MAGNIFICE DOMINE *semper felix fortunatusq; viuito; in Patria Maiorum Tuorum Heroicis factis concitatus, & tanquam præsidio quodam munitissimo benè corroboratus Toti Familiæ Tuæ, Reipub. Florentissimo deniq; Heliconi Academico ad quem ceu ad mercaturam optimarum profectus es artium bono omine, clarissimoq; nomine vigeas, floreas, splendidus collucescas, & hunc in sinu Fauoris Tui exilem ingenij mei fætum reponere patiaris; quem non tàm barbarâ lege permotus quàm debitâ animi submissione adductus, ex Musarum adytis, & Gratiarum gazis, ipsiusq; Apollinis Lycæo fidissimæ in pignus obseruantiæ offero ac dedico. Tu* ILLVSTRIS DOMINE *studium meum cancellis angustæ solertiæ circumscriptum, & debitæ submissionis, nec non propensissimorum testificationem obsequiorum beneuolus acceptabis, atq; autoritatis Tuæ præsidio fouebis.*

Tuæ Illustr. ac Magn. D.

Cliens obsequentissimus
Ioannes Stanislaus Iaſſʒan eiusdem Laureæ Candid:

PARÆNESIS APOLLINIS
AD PRIMÆ LAVREÆ CANDIDATOS.
O D E
Tricolos Tetraſtrophos.

QValis ſuperbus nunc rutilat ſacer
Gemmis Hydaſpes ſub tumido lacu,
Vel ſemper ardens inter aſtra
Leucothoë ſuperis propinqua.
Qualis coruſcus floribus admodùm
Pulchris Hymettus promicat vndiq;
Aut ſplendido fulgore, noctis,
Luna fugat tenebras opacæ.
Sic inter iſtos irradians ego
Solus nitores omnibus obuios
Opto clientes per tenaces
Nunc operum rutilare nodos.
Quos more ſolis ſenſifici, velut
Fructus aduſtos robore Sirij
Depromo maturos in arte
Tempore veris adhuc recentis.
Felix Lycæi progenies ſacri
Optata charæ ſpes modò Lechiæ
Veſtigiis inſiſte ſemper
Cum pietate noua paternis.

Dum fama pennas garrula præpetes
Laxat per orbem tunc memorabile
In mente nomen fige vulgi
Vt ſtupeat tua geſta Gades.
Inter duellum quando polus fauet
Contra proteruæ mentis acinaces
Pugnas celebres ſemper arte
Vos Clypeata cohors ciete.
Aurâ ſecundâ flante per æthera
Itote fortes, ſumite prælij
Lauros triumphales nouelli,
Et veteres reparate palmas.
Pubeſcit ætas dum noua temporis
Riſum Cytheron concitat arduus
Et flos Sabæus, vos gementem,
Plaudere tunc facitote mundum.
Mentes politas reddite ſæculo
Cæco refertas ante ſophiſmate
Et captioſum pertinacis
Pellite iam ſtudium Mineruæ.
Fauſtè geratis prælia vocibus
Doctis, in aruis Phocidos intimæ,
Suadam vagantem Tullianis.
Abſq; mora ſociate campis.
Semper ruatis Marte nouiſsimo
Almæ phalanges, in iaculabile
Fulmen loquelæ peruicacis
Pegaſeos ſpeculando fontes.
Non ampliùs vos nube ſilentij
Obliuioſa, aſt ingenij grauis
Ardore, quum flat veris aura
Inſolitas iterate pugnas.

Pror-

Prorſus labantis iam Latio decet
Mundi ruinas robore flebiles
Fulcire, vel rerum tumultns
Horribileſq́; domare motus.
Vati eſte factis Threicio pares
Flores diſertos promite pectore
Pulchrè Camænarum per arua
Nectite ſerta nouis trophæis.
Vernans propago percipiat modò,
Rectè nepotes vt proprij ſciant
Veſtire lauri me virentis
Lechiadumq́; plagas coronis.
O mente captos qui temerè nimis
Dotes capeſſunt cum diademate
Calchantis? abſit; vos triumphos
Sarmatici renouate campi.
Eſt præſto mater pergite Memnonis
Omnes Orion enſe tuebitur.
Monſtrabit orbi vos decemplex
Aſſiduo ſatis aula gyro.
Vincatis ergò laudibus Hectora,
Veſtros celebres vt titulos queat
Supra Pyrenen in coloſſo
Sculpere fama loquax perenni.

MVSA PALLADEM ALLOQVITVR

Non patitur cingi velamine vernus opaco
Flos, ſoles blandos prêndere moris habet.

ODE

ODE

Tricolos Tetraſtrophos.

QVid paſſim tenebras texere iam iuuat,
Cæleſtes nebulis horret amans polos
Obductos hominum mens,
Languetq; ingenij vigor.
Virtus contegitur ſemper inaniter,
Incrementa potens nam capit in dies
Arctos laudis honeſta
Aſſiſtente ſibi Ioue.
Quis lucem ſtygio ſiſtere vult loco
Phæbeam; colitur penè patentibus
Splendor ſæpe theatris
Ditis clauſtra ferit caua.
Et mox orta recens ſydera comprimunt
Vmbras Oceano iam vice noxias
Hác, ſplendore nitenti,
Quamuis impediat chaos.
Addent Heſperiæ nunc Thetidi ſimul
Lucem purpuream Caſtore cum ſuo
Spargent fronte ſerena
Per gratum radios ſolum.
Cernin? canities pulſa procul tremens
Brumæ, germen olens prodere palmites
Iam Phæbus faciet, quin
Flores detegit abditos.
En ruptis rutilant pampineis ſuper
Terram tegminibus, nuper odoribus
Emiſſis in apertum
Noſtros mirè animos fouent.

O flo-

O flores lepidos qui modò præcoces
Sint quamuis, tamen hinc lætitiam ferunt
Maturam, tum & odores
Spirant ambrosios benè.
Lauro peruiridi digna sùàuitas
Oras quæ decorat Lechiadum die
Doctrinâ, Boreæq;
Aras nocte nitoribus.
Afflictos animos mulcet amænitas:
En cinctum, studijs Pieridum probis,
Hortum cerne Palæstræ
Hunc mundi patefac globo.
Ornabit varias Sarmatiæ plagas,
Et seros faciet plaudere posteros,
Flores huius, odore
Vincent thurilegam Sabam,
Perstringent facili robur Achaicum
Et candore, Getes conueniat licet
Gradiuusq; Gelonus
Perdent hîcce ferociam.
Si gratam iaciet sors leuis aleam
Committent volucri nostra vigentiæ
Famæ nomina, fulgor
Vt duret proprius diu.

VOX PALLADIS.

Temnit priuatas virtutis imago curules
Expetit excelso sistere sæpè loco.

ODE

Dicolos Tetrastrophos.

VT minæ triſtis tacuêre brumæ,
Imminent veris comites ſecundi
Thraciæ ventoſa procul vigentes
Lintea pellunt.

Alterat iam terra vices recenter,
Arbores ſumunt radios comantes,
Æolo lenit Zephyrus cubante
Arua Trionis.

Dum Notus campis reſonans in amplis
Oſcitatur, tum propè criniuntur
Suauis in flores Heliconis vda
Prata coruſco.

Riuulis & Caſtaliæ loquuntur
Garrulis ripæ, madidûm fluentûm
Margines tollunt agitante fluctu
Sæpè cachinnos.

Nunc potens claræ Lechiæ propago,
Ore trux hoſti ac Aquilis paternis,
Floreas mundo redimita Lauro
Ritè virenti.

Ito fragrantes referens odores
Imbuas lymphis teneram iuuentam
Fontis Aſcræî; digna ſit vt Noëam
Cernere cymbam.

Æmulorum lingua procax ab oris
Patriæ pellatur, id Hæmus æquè
Arduus factum ſtupeat, cacumen
Teſſaliæq;.

Fatus eſt obſcurus Heraclitus quid,
Edoce mentes minùs expolitas,
Aut Ariſtippus tenui locutus
Ponè Mineruam.

Obſtre-

Obstrepet si publica tunc Enyo
Et geret dextro alite bella passim,
Macte stirps fortis Latio refellas
Fulmine sontes.

Suscita Gryphas, clypeos superbos
Tela, & hastas, Odrysium furorem
Os sui regni Ausoniâ seuerè
Tollet ab vrbe.

Te iuuabit non remorante dextrâ
Iure, Parnassi iubar ipse Phœbus,
Qui sagittis & Lyciâ pharetra
Sæpè rubescit.

Induant faustè arua nouum colorem,
Sub polo noxas animi recondas,
Pergat haud virtus Gyaros, sit ædes
Inter amænas.

Hinc sit amens ambitio procul, nec
Fascinet cor Pygmalionis ardor
Fuluus, amnes tu eloquij disertos
Funde beati.

Floreas pubes generosa in almis
Phocidos stagnis, adoleuit ostro
Iam tuus rectè genius Latino
Suauis in orbe.

A P O L L O

Secundùm eminentiam vniuscuiusq; virtutis ac emeritæ eruditionis insignia suis clientibus offert suaueolentia.

Præmia sunt præsto memorandi iusta laboris
Hæc, benè qui meruit, sumat amante manu.

ODE
Dicolos Tetrastrophos.

QVi Syrtes fugitant, orbis, inhospitas,
Cunctis naufragium triste minantis, &
Vultus horriferos Eumenidum timent,
Sacratumq; terunt locum.
Istis non opus est splendeat vt nitor
Aurati sabuli, nec sua copias
Seruet gaza nimis munificas ferat
Beryllum neq; dextera.
Ast qui se obyciunt sæpè periculis
Mundi luctificis, præmanibus gerant
Flores puniceos absq; metu graui
Haud suaues spolio hostium.
Sit cordi alma sequi castra Biantis, vt
Securi esse queant numine Palladis:
Dum dulci iuuenes efficiunt satis
Potos flumine Tullij.
Sudum fusca polum nubila texerant
Nuper, flammigerum nec rutilantia
Splendorem astra dabant, intulerant quoq;
Pullam Sydera iam facem
Orbi, ast ecce nouus Sarmatiæ nitor
Cephisi placidis lotus aquis plagæ
Illuxit, propriam quisq; dolens vicem
Vultus indue candidos.
Olim Tarpeij progenies Iouis
Nunc Diæ soboles Palladis inclyta,
Virtutis resonans enituit probè
En vestræ specimen, sua

Dum mens instituit laudis adoreas
Pimplæi nemoris numinibus nouas,
Perquæ Lechiadum robora debitè
Creuerunt, Latium quoq;
Nomen, tum rutilans imperij nitor
Dispersit radios Hesperiâ à plaga
Eoi roseos ad propè cardines
Sollerti duce syderum.
Spectet Leucothöé culta coloribus,
Miretur medijs attonitus nimis
Vesper luminibus gesta celebria:
Quantum Marspiter inclytus
In vobis valuit? Thespiadum citis
Dum loris adeò quadriiuges sonos
Frenastis stolidæ semper inertiæ.
Vt palmam ferat omnibus
Victricem Arctophilax ore semel procul,
Jam cedet domitus Bisthonius furor:
Hinc vestram referet flumen Hetruriæ
Laudem murmure garrulo.
Cingi vorticibus grande periculum
Est, hanc ne grauiter sæpiùs obruant
Ad sydus, nitidis, fama vehat simul
Secum, vecta iugalibus.
Laurus eia satis Phocaicas benè
Aequastis meritis, tunc diademata
Serti populei splendida sumite
Faustè, nam prohibet mori
Dignos laude viros Aonius chorus,
Hoc munus placeat fronte quod offero
Jucundâ, hocce suis nata soror Ioue
Dat, Phœbusq; clientibus.

Deum comitatæ Deæ nouem Musæ nouem flores sigillatim cuiuis dissuauiatos porrigunt.

Nobilis admirata cohors Heliconia factum,
Indolis, huic subitò dona superba dicat.

I. V. D. NICOLAO IVRECKI LILIVM CALLIOPE offert.

O D E

Dicolos Distrophos.

MÆstos quid resonas chely
Cantus? flebilibus sollicitas sonis
Aures? respuo nænias.
Lætis eia melos dulce canoribus
Promas, en Heliconia
Depingit varijs arua coloribus
Chloris, luteolam iubet
Caltham nectareum ritè decus dare
Hinc, expandere molliter
Blandos inde sinus dulce thymum; comas
Spargit pampineas virens
Myrtus, tùm grauidas trudit odorifer
Gemmas cortice rosmaris
De pingui, casiæ quas cita perluit
Nais Tethyos amnibus
Rident, in calathis cynnama gestiunt,
Quin Absynthia proprijs
Vmbras irradiant cana nitoribus.

Visu

Visu digna licet satis
Ornamenta ferant sæpè vigoribus;
Sed nec cuncta queunt loca
Montis Pierij reddere lucida;
Essent dummodò Lilia
Præsto, mox reliquis floribus ampliant
Lucem, ac absq; mora graui
Abstrusos decorant illa nitore re-
Cessus, & viridaria
Splendore exhilarant plùs solitò sua.
Tunc fors imperium gerent?
Non! IVRECOVII quin probitas præest.
Gestes sic manibus tuis
Hoc insigne decus, præsideasq;, Stra-
Tegum te populus fore
Nouit magnanimum, lilia roscida
Nam candore animi tuo
Aequasti; facili iam superas modo
Europæq; plagas, si olor
Fias Bilbilicus mente statim bonâ.
Hinc vt suauis odor DEO,
Ast summus patriæ sæpè nitor foret.

II. V. D. ALBERTO HELCINER HYACINTHVM EVTERPE dedicat.

ARma virum fortem decorant præclara decentq;
Dexteritate Ducem callemus Marteporentem,
Miles aheneum habens robur, galeamq; coruscis

Sub

Subnixam cristis, fatalemq; hostibus hastam,
Prætereà textam nodis auroq; trilicem
Loricam, & nulli tegmen penetrabile telo,
Fulgenti clypeo cinctus, mucroneq; fido.
Noscitur egregius semper belloq; superbus.
Sed (quæso) natura animo cuius dedit ista?
Aiacis, quoniam fortissimus extat in orbe.
HELCNER sed quando tibi pro meritis Hyàcinthus
Fertur, vendicat Aiacis qui nomen ab ortu,
Ampliùs ornant te multò tua robora mentis.
Armis ille licet fortis, Tu mente sagaci
Feruidus, ingenio dexter, tum dogmate præstans,
Quis non attonitus iudex tua respicit ora?
Eminet ex illis dum plurima copia fandi.
Talis inest habitus, qualem nec dicere mæstum
Nec fluidum, lætâ verùm grauitate decorum.
Possumus; ingenitæ stat nobilitatis in illo
Pulcher honos, & digna suis natalibus ora,
Diceris hinc Aiax Patriæ, Socijs Hyacinthus.

III. V. D. ADAMO ROZYCKI HELIOTROPIVM CLIO offert.

ODE

Dicolos Distrophos.

PEr densos scopuli, nemoris vastiq; recessus
Tethyos & per aquas.
Aetheriam nubis Iudæa propago columnam
Mente secuta fuit.

Lætâ

Lætâ, quæ Phariâ prorsùs regione relictâ
Non benè gnarâ Hyadum.
Ad Syriæ regnum florentis honore refertum
Cum Duce tendit ouans.
Flos currum sequitur Phæbi quo vertitur, huius
Exprimit & faciem.
ROZYCKI præstas populo maiora stupenda
Inclyte prodigia.
Dum verum sequeris Phæbum qui dicitur esse
Fons & origo boni.
In nostro hunc sacrâ pietate colendo Lycæo
Moribus & studijs.
Iam Metanœæos gestus, poppismata magni
Temnito & Oceani.
I lætus faustè rutilantis scandito Phæbi
Plaustra sonantia.
Almæ per latum Matris diademata mundum
Progenerare velis.
Tu quidcunq; voles id tenta, fidito Phæbo
Est comes ipse tibi.

IV. V. D. ALBERTO KRVSZEWSKI ERATOROSAM deuouet.

Postquam flammigeros mersit in Hesperi
Lymphis Hyperion fessus equos suos,
Solis continuò Luna subit vices
Axes irradians, tùm variat polos
Atratos nebulis terribilis Noti,

Et nocturna statim dirigit hæc iuga,
Stellantesq́; sinus scandit inertior.
Sic florum, fugiens hos nitor & robur,
Dum valdè Boreas Othrysius furit;
Solam cerne rosam murice fulgido
Splendentem, cui adest perpetuus rubor.
Iam multorum animos Parthenius pudor
Defecit video, ast KRVSZEVII indoles
Cum sit puniceo lumine prædita
Jllustrat socios purpureis rosis.
Lunam ergo Odrysiam currere non sinat,
Excelsum solium iam Arctophylacis vt
Conscendat rubor hìc, quem tenet integer,
Laurosq́; exhibeat ritè fauentibus
Victrices populis, clara trophæaq́;
Cum feruore gerat, lætitiæ noua
Jnstaurare velit gaudia sæculo,
Oræ Sarmaticæ hoc munere fulgeat,
Mentem sæpè pudor deprimat hostium,
Ne Mauors auidè clam armiger imbribus
Lactaret roseis ora loquacia.

V. V. D. SIMONI TOMOWIC AMARANTHVM VRANIA consecrat.

O D E

Dicolos Tetrastrophos.

FVlget argento domus ampla Cræsi
Diuitis quondam volitant per orbis
Singulas partes patuli, Midæq́;
Fulua metalla.

Iactat

Jactat auratas Tagus ac arenas,
Hebrus & voluit lapides superbos,
Copias condit solidas Arabsq;
Diuite cornu.
Quid iuuant! perfectáne sunt in orbe?
Nil manet certi nimiùm nitendo,
Concidunt exnunc, propriumq; perdunt,
Ista valorem.
Ecce quærenti mihi pulchrius quid,
Accidit donum retinens perennes
Sæculorum annos. Amarantha multûm
Dico suáuem.
Hocce TOMOWIC generose miles
Laureatum te fieri peropto
Palladis castris Heliconis horto
Bella mouentem.

VI. V. D. ANDREÆ NIEDZIAŁKOWIC NARCISSVM MELPOMENE offert.

Magnis, fixa soli gremio Cephisia proles
Vt verum fatear, condecorata bonis.
Jnualidis etenim latè radicibus hærens
Et perstans; flores mittit odoriferos.
Collucere facit proprias quas incolit oras
Recreat adstantes exhilaratq; satis.
Ast vbi se mersam rapidâ conspexerit vndâ,
Fulgor, odor, virtus, formaq; cedit ei.
Nec iam mater alit tellus viresq; ministrat,
Vita sed ipsius iam peritura fugit.
Quàm NIEDZIAŁKOWIC multò maioribus exstas
Dissimilis, soboles condecorata bonis.

Diffugiant procul hinc prolis Cephisiæ odores,
Vnus virtutum flosculus hos superat:
Non propriæ tantùm quàm sol illuminat oræ,
Toti sed mundo gloria lucet, honor.
Dexteritas; vis ingenij fortuna parandis
Jn rebus, cunctis lætitia esse solet.
Omnia, rem (proles) complectar, continet ista,
Exornata manet partibus illa modò.
Est quod cardo rei, summum quod opusq; putandum
Viuis in æternum tu, hæc moribunda perit.
Nam licet huic mundo valedices, sed volitabis
Semper famatus cuncta per ora virûm.

VII. V. D. MATTHIÆ STANISLAO GŁADYSZ LIBANOTAM POLYHYMNIA cum basio porrigit.

O D E

Dicolos Distrophos.

NVnc est canendum voce sæpè liberà,
Nunc est suàui pollice
Pecten mouendus per Mineruæ Theseus
Aruum, canora barbitos
Chordis adaptetur, referre plectraq;
Ascræa festiuum queant
Sonum, palæstræ iam gerunt Apollinis
Mentem phalanges candidam:
Æterna semper namq; veris obtinent
Iussu Toparchæ tempora.
Libanota ramos floridis tectos comis
Spargit virentes vndiq;,

Ornare

Ornare viuidis vigoribus facit
Vireta perquàm ſuauia;
Haud pertimeſcit hyêmis aſperæ minas,
Vel flabra Boreæ turbida.
Priuantur ornatu decoris omnia
Cùm ſæuit arctoum gelu.
Extra virorem promit inquouis loco
Libanota planè gemmeum.
Vernando GLADYSZOVII virtus probo
Viret ſtupenda robore.
Nunc ingenii ſermone prorſus Theſpio
Vincit Sophorum acumina.
Amænitate tela Doctorum mouet
Et cuncta ſoluit dogmata.
Haud ergò acerbum Patriæ luctum feret,
Sed addet æternum decus.
Dum veris effingit dies, virentia
Tunc ſerta nectat Palladi.

VIII. V. D. ALBERTO PIESCZOCHOWSKI PERISTEREON THALIA defert.

ODE

Tricolos Triſtrophos.

SErmone puro profuit ſat omnibus
Sollicitare polos,
Deoq; vota reddere;

Regina

Regina terræ gentiumq; præpotens
Roma diu viguit
Suum per æuum liberè,
Subiecit hostes quosq; noxios sibi
Dardanio iaculo,
Fauore vicit principes,
Gentėsq; partis duxit in suæ plagas
Pectore Cecropio
Quiete fouit subditos.
At quæso facti quis modus sit intimus?
Jncola namque suus,
Sub vnico cum cæteris
Voto est moratus, sæpè liberè mori
Pro patria Phrygia
Vouebat: omnibus quidem.
Extat voluptas nulla suauior viris,
Libera quàm patria,
Et eius integer vigor.
Tu PIESCZOCHOWSKI plùs potes modò Æaci
Jnclyte iudicio
Sophique votis vteris.
Haud acquiescas vnico, ast Apollinis
Hoc cumules studio,
Jn optimæ Matris sinu.
Verùm laboris nunc prius decus refer,
Dulce Peristereon.
Futurus vt sis cæteris.

IX. V. D. JOANNI RAWOŁKOWIC MELILOTVM TERPSICHORE tradit.

QVid rerum precor omnium creatrix
Dat natura cuiq; dona? magnùm

Heroum

Heroum genio satis perenni
Digni possideant vt apta quæuis.
Non te conspicuum virum reliquit
Summo progenies parente nata?
Virtutes sed vbi Tuas, per ampla.
Felix, gesta, RAWOLKOWIC, probauit,
Jnter, te statuit virum, potentes,
Clarum, cuncta pericla non timentem.
Vt semper Danaos feras labores,
Rupes Caucaseas grauis querelæ;
Curis Sisyphidem exprimas disertum,
Ærumnis superes laboriosum
Cunctis rebus in, Herculem, ferendis.
Sed duros quoniam sequuntur actus
Molles sæpè nimis boniq; fines.
Tunc ergo Melilotum olens prehende,
Vt curras citiùs libentiusq;
Jn cœpto stadio per arua Suadæ:
Semper te exhibeas suauiori
Vultu, pectore, vocibus serenum, &
Jn castris maneas potens Mineruæ.
Hoc primum fieri diu per æuum
Exopto tibi, quod precantur omnes
Vnâ mente Aganippidum phalanges.

Sed & Charites amœnissimæ adfuère & ridente vultu flores, quos à Pimplæo fonte tulerunt, addidêre Musarum floribus.

X. V. D. SEBASTIANO SZEPIOŁOWIC
VIOLAM EVPHROSINE donat.

ODE

ODE
Dicolos Distrophos.

QVisquis adæquat arte,
Exteræ Doctâ genium nunc regionis almum
Aönidumq; lucos,
Et plagas dextrâ superat Nisouias potenti.
Castalios alacri
Ornat & fontes validi iudicij vigore,
Vel cohibet tumultus
Perfidos, exinde minas Annibalis repellens
Subiaceat malignæ
Ille non sorti, rigidis à iaculis procul sit.
Hoc fieri peroptat,
Cynthius sublime Tibi dum stephanoma mittit;
Sume cliens Mineruæ
Præmium tandem proprij magnificum laboris,
Iam nitido decorus
Flore, nunc expande freti Carbasa clara nostri,
Bella canas; odore
Mox dolos vinces stygij difficiles Cerastæ,
Tisiphones nocebit
Non furor, præceps Hecate non volitare famam
Impediet per orbem;
Gaudeas; lætusq; petas celsa theatra cæli.

XI. V.

XI. V. D. ADAMO SLIZOWIC TYMBRAM PASITHEA porrigit.

ODE

Dicolos Distrophos.

Celebre concinas Thalia nunc melos
Multùm canoro pectore,
Reponat inter astra Phocidos phylax
Hortis odores proditos;
Facit benigna penè Tymbra tempora,
Dum lustra complet iam noua.
Odore mulcet arua Thespidos, vigens
Inter relucentem globum.
Genis per arduas plagas rubentibus,
Ad se clientes allicit
Apollinis, iacebat omnis in graui
Luctu, tumultu pressaq;
Gemebat aspero Palæstra Palladis
Nostro Trioni concidit
Aprica quando Tymbra; sed dedit nouum
Nobis Apollo flosculum,
Odorem hic halat inter æmulos statim
Vrbi suáuem Cecropum;
Decus cohortis, ipsa præsto te phalanx
Quin nostra Pallas vult fore;
Decore recreato cuncta pignora
Semper Sereno Sarmâtum.

XII. V. D. MARTINO STVDZIENSKI GRANADILLVM AGLAIA tradit.

Ecquid ad auroram Nabathæaq; regna superba
Instaurat populus gaudia mente noua?
Omne procul cedit pondus pretiumq; valorq;,
Gemmarum clarus temnitur atq; nitor.
Antipodæ faciunt quid crebros corpore plausus?
Concidet illorum mox tumor hîc animi.
India suaue melos quorsum modulatur in orbe
Multarum rerum copia fortè mouet?
Commouet hæc fateor: sed quæ nunc durat in omne
Tempus, mox pretium perdet & illa breui.
Non mihi transmittet fuluos clarosq; Pyropos,
Et Granadillos non ampliùs illa dabit.
Surculus est præsto nostris inuentus in oris,
Nomine STVDZIENSKI quæq; profunda sapit.
Nostræ, delitium, soboles iucunda, cohortis,
Quæ mage nectareo replet odore solum.
Mente nouos hortos sancit, passimq; vireta
Sistit, grata suo stigmata corde gerens.
Ergo magnifico felix lætusq; fruaris,
Munere Chrisocomus nunc quod Apollo dedit.
Ornatus tandem lauri fulgente coronâ
Te citius nostris iungito quæso choris.

Ad Lectorem.

Quod minùs exculto modulatum est pectine carmen
Me tenet in cunis (parce) Poësis adhuc.

In Stemma Academicum.



Vtere pace tuâ ſoboles ô fauſta Lycæi
Sarmatici, nam te protegit Alma parens.
Jlla tibi quærit pacem, partamq́; tuetur
Sceptra ſuperba gerens, pondus vtrumq́; refert.
Non minor eſt virtus quàm quærere parta tueri,
Jllic caſus ineſt, hîc opus artis ineſt.

Sub felicibus auspicijs

Magn. ac Admodùm Reuerendi Domini,

D. IACOBI VSTIENSIS

Sacræ Theologiæ & I. V. Doctoris, Custodis S. Floriani, & S. Georg. In Alma Acad: Crac. Studij Generalis Vigilantissimi

RECTORIS.